Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8299
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



resolventibus et consumentibus sicut est
oleum de balsamo et melle anacardino
et adeps vulpis et vulturis et similium
cadorum. Alii autem ante tamen illas inunctiones
per mundificationem corporis bonum est
uti stuphis siccis et in stupha po-
nantur omnia que in syrupo et per exitum
qualibus vice exhibeatur tyris auris
alexandrina ana ℥ s. et continuetur
multis diebus stomacho vacuo. Deinde
apponatur id emplastrum cum dicta cau-
tela. Recipe gummi rute agrestis euforbii
opoponacis sagapenum galbani castorei mirre
azefetide bdellii piretri nucis muscate
ro. clavi gummi piperis anacardi
tapsie nigelle sinapis carui agrestis
se. rute ana ℥ s. conficiatur cum oximelle
squillitico fiat emplastrum et super membrum
paraliticum ponatur. Deinde post balneum
Recipe vulpem cum pelle et toto decoquatur
in aqua cum ruta et calamento carui
agresti et accoreo et balneetur in aqua ipsa.
Vulgares tamen decipiuntur cum ipso balneo
quia faciunt ante corporis mundificationem
et ideo augmentatur morbus, caput purgatur
et vomitus et competunt in declinatione
aut detur vinum calidum antiquum sed
in parva quantitate, ventose cum stricto
orificio sine scarificatione frequenter apponite
super capita nervorum multum iuvant.
Sternutatio cum elleboro facta multum valet
et cum medicaminibus resolutivis semper
stiptica apponantur. Cum autem fuerit
inguinalestenia multum confert quod membrum
elevetur et deprimatur ut sua possit
operationem perficere ut exercere. Clarificatio
Intendendum quod paralisis frequentius advenit
cum particularia conveniunt ut quia frigus de complexione
et senex et tempus anni frigidum et regio
frigida et quia vivit in ocio et crapula
et vino multo et quia officium suum est
frigidum ut quia pistatur et circa coria et
aquas conversatur et cetera. Secundo notandum quod
membrum paraliticum licet non sentiat
atque moveatur nichilominus nutritur
licet debiliter et quod debiliter nutriatur hoc
patet quia continue macerat et arescit
et licet spiritus animalis non possit pene-
trare nutrimentum tamen penetrat quia
modica nubes impedit radium sed
attractio specierum attrahit et quod difficile
est attrahibile sicut patet in follibus
fabrorum. Ubi non solum attrahit aer
sed gravia ut pulveres et stramina. Tertio
notandum quod vinum non competit in aliqua
egritudine materiali frigida nec etiam in passio-
nibus mentalium quia facit materias crudas
penetrare et quia convertitur in acetum
nisi in declinatione corpore mundificato
et quod administratur sicut oportet.

Capitulum 27. de spasmo

Spasmus est egritudo nervalis
contrahens ad suam originem
cum ablatione motus. Causa
que est exterior et est multiplex sicut
materia frigiditas comprimens aut caliditas
dissolvens et ad nervos delegans aut
punctura nervi cum stilo et acu aut labor
nimius aut aliqua alia res coges et retrahi
membrum ad suam originem sicut est
casus incisio et cetera. Alia est causa
interior et multiplex sicut est apostema.
Ubi materia est coadunata in loco vel
nervi seu originis eius. In aliis autem
causis materia magis comprehendit nervum
et cum hoc et ventositas grossa que non habet
exitum. Alia ventositas est ita modica
quod cito recedit per se aut cum modica
fricatione et ideo quando venit in tibia
vel grappa vocatur. Alia causa est sanguinea
alia flegmatica alia melancolica. Flegmatica vero
ut plurimum. Alia fere est in causa et crapula
et ocium et sompnus nimis profundus
et si qua sunt similia. Intendendum quod
spasmus recipit sectiones quasdam.
Omnis enim spasmus aut est de reple-
tione aut in avicione et si que
sunt alie cause ad illas possunt reduci.
Secunda divisio est talis. Spasmus autem
est universalis aut particularis. Universalis
est tunc est in una tota magna
parte seu membrum corporis tantum sicut
si contrahatur membrum anterius tantum aut
tantum posterius aut utroque modo et vocantur
propriis nominibus. Protostonus eu protostonus
et tetanus quasi totum tenens quia tt